

mortificationem ad vitam, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem! O Zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis, et roboras, et inimicos nostros tam qui sub aspectu cadunt, quam qui non cadunt, impedis! Tu.

¶ O jucunda Zona, quæ à corruptione aliena Dei Matris summè honesto corpori honestè appropinquasti, et illic industriè incorruptionem, manens illabefacta et aliena ab interitu, alleluia, allel. ¶ O veneranda Zona Dei Matris, accinge lumbos nostros veritate, justitiâ et mansuetudine.—Ora.

## LECTIO 6.

Sed quid mihi accidit, ut dum sanctissimo compungerer desiderio, et impetu urgerer orationis, obliviscerer Fasciarum? Non mirum. Dum enim Mater glorificatur, lætatur quoquè et voluptate affectitur Filius. Quin etiâ legi cedentes naturæ, ciamsi res sint supra naturam, Matri primum munus obtulimus. Neque omninò id agrè feret, qui est summè bonus Dominus. Cum enim verè homo ex eâ progredi ei visum sit, et ejus appellari filius, non condemnabit imprudentiæ, quæ extilit secundum hominem, is qui est summè misericors. Sed factâ mentione fasciarum rursus reverlamur ad illam, quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis

sanctis confecit manibus. Tu.

¶ Tuam hæreditatem, ô Intemeratæ Zona intemerata, \* Conserva, rectos fide, salvos vitam, et nullo damno aut injuriâ affectos, alleluia, allel. ¶ Fac nos hæredes æternæ et beatæ vite, et hanc nostram vitam interitui obnoxiam conserva.—Conserva.—Gloria.—Conserva. *Hymnia Sindone fecit ut in die 6. Nov. p. 426.*

## LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Marpertanæ: *Ex ipsius historid.*

Marperito in Hannoniâ maximè colitur diva Virgo jam à sæculo decimo tertio. Sacellum, in quo nunc sacra Imago extat, anno millesimo quadringentesimo quadagesimo secundo fuit ei excitatum, ac Sanctimonialium Thurensium curâ traditum. Quotidiè fit ad Marperitanam Virginem ingens peregrinorum accursus, sed præcipuè Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis ipsi sacrâ, etiâ à dissitis valde locis. Innocentius Undecimus confraternitatem ibi sub Deiparæ Sanctissimæ invocationem fundatam approbavit, ac indulgentiarum thesaurò ditavit. Tu. Te Matrem.

*Ad Benedict. ant.* Circumcinxit eam Zonâ gloriæ, et coronavit eam in vasis virtutis, allel. allel.

*Vesperæ sequentis.*

*Explicit tempus Vitæ gloriosæ.*

## COMMUNE FESTIVITATUM

## B. MARIE V.

1. De hoc Communi sumuntur ea omnia, quæ in Proprio Festivitate non fuerint propria.

2. Psalmi semper dicuntur ut positi sunt in feriali officio, nisi in proprio alii notentur. In Solemnitatibus autem Duplicium primæ et secundæ Classis dicuntur in Vesperis Psalmi, qui infra assignantur, et in Laudibus et in Completorio, et in Dominicâ, excepto Complet. post secundas Vesp. Duplicium secundæ Classis in quo dicuntur ut in feriali officio.

3. Lectiones de Scripturâ, quæ in singulis Communibus habentur, recitantur solâ in Duplicibus majoribus, quibus propriæ non fuerint. In Duplicibus minoribus verò, et in semiduplicibus, dicuntur de ferid occurrentibus pro tempore, nisi aliter notetur.

4. Responsoria, quæ dicuntur in fine Lecticum cyuslibet Nocturni, in Duplicibus primæ et secundæ Classis, repetuntur integra post Gloria Patri usque ad ¶. In aliis verò inferioribus festivitibus iterantur solum ab asterisco, ut in singulis §§. ordinariè annotatur.

5. In Duplicibus primæ Classis dicuntur tria §§. in tertio Nocturno, et post tertium dicitur Canticum.

Te Matrem. In eisdem Duplicibus dicitur in utrisque Vesperis s. tertium tertii Noctis post Capitulum, et post Gloria Patri. repetitur integrum usque ad ¶.

## PSALMI

Pro 1. Vesperis Duplicium primæ et secundæ Classis. Antiphonæ ut in proprio.

## Psalm. 112.

Laudate pueri Matrem Dei: gloriificate senes nomen ejus.

Benedicta sit MARIA Mater Christi: ipsi enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super cherubim thronus ejus: \* et sedes ejus super cardines caeli.

Super humiles vultus ejus: \* et super confidentes in eâ aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem: \* et elemosina illius usque ad extremum terræ.

Gloria Patri.

## Psalm. 116.

Laudate Dominam nostram omnes gentes: \* gloriificate eam omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos gratia, et misericordia ejus: \* et veritas illius permanet in æternum.

Qui dignè coluerit illam, iustificabitur: \* qui autem neglexerit illam morietur in peccatis suis.

Labià angelorum enarrabunt sapientiam ejus: \* et omnes cives paradisi cantabunt ejus laudem.

Bono animo accedentes ad illam: \* non capientur ab angelo devastante.

Gloria Patri.

*Psalm. 143.*

Lauda, anima mea, Dominam: \* glorificabo eam, quamdiu vixerò. Nolite cessare à laudibus ejus: \* et per singula momenta recogitate illam.

Cum exierit Spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus: \* et in terrà ignotà præsta illi ducatum.

Non conturbent eum culpæ priùs commissæ: \* nec terreat ipsam occurus malignantis.

Perde eum ad portum salutarem: \* ibi præstolatur securè adventum Redemptoris.

Gloria Patri.

*Psalm. 146.*

Laudate Dominam, quoniam bonus est psalmus: \* jucunda et decora sit illi nostra laudatio.

Ipsa enim medetur contritis corde: \* et refovet eos unguento pietatis.

Magna est virtus illius: \* et clemens in ea ejus nullum habet finem.

Præcitate ei in jubilatione: \* et in confessione psalmum canite illi.

Beneplacitum est ei super fidentes Deum: \* et in eis, qui sperant in misericordià ejus.

Gloria Patri.

*Psalm. 147.*

Lauda Jerusalem, Dominam: \* glorifica illam etiam, ò Sion.

Ipsa enim construit muros tuos: \* et filios tuos benedicit.

Gratia tua te impinguat: \* pacemque donat terminis tuis.

Emisit Verbum suum Altissimus: \* et virtus ejus obumbravit sibi.

Levemus corda nostra cum manibus ad illam: \* ut suam influentiam sentiamus.

Gloria Patri.

*In 2. Vesper. ejusmodi Solemnitatum primæ et secundæ Classis, Psalmi dicuntur ut in officio Dominicæ, excepto ultimo in cuius loco dicitur Psalm. 147. Lauda Jerus. ut supra in 1. Vesperis.*

I.

TEMPORE.

### EXPECTATIONIS.

*A die 1. Septem. usque ad 8. exclusivè.*

*In hoc Communi omnia dicuntur ut in die 1. Septemb. et sequentibus notatum est.*

II.

TEMPORE.

### INFANTIE.

*Ab ejus Nativitate usque ad Adventum.*

#### IN I. VESPER.

*Ant. 1. Cujus es filia? Indica mihi, si inveni gratiam ante oculos tuos.*

*Psalmi feria occurr.*

2. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro.

3. Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe, Virgo MARIA, de hidrià tuà.

4. Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.

5. Oleum effusum nomen tuum: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CAPITULUM. *Cant. 6. 8.*

Una est columba mea, perfecta mea una est matri suæ, electa genitrici suæ. *¶. Deo gratias.*

HYMNUS 315.

Virgo pura et innocens!

Nitore præcedis diem,

Candore præcellis nivem,

Decore vincis angelos.

Tu stella solis nuntia,

Aurora lucis prævia,

Odore flos gratissimus,

Thronus Dei sanctissimus.

O puritatis liliū!

O Sanctitatis balsamū!

Spes certa penitentium,

Solamen et gementium.

Patrona nostra, quassumus,

Preces clientum suscipe,

Primi parentis quos lues

Infecit, et nos protege.

Fac mente purà crimine,

Fac corde mundo scordibus,

Christo placentes debitis

Te concinamus laudibus.

Sit Trinitati gloria

Nobis dedit nam Virginem,

Salvos potest quæ reddere

Suos amantes famulos. Amen.

*Hæc Doxologia dicitur in hymn. ejusd. metri.*

¶. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

¶. Collum tuum sicut monilia.

*Ad Magnif. ant. Cum ab infantia \* semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, immobilis in Dei timore permansit, ægens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.*

*Gratio de Laudibus. nisi sit propria.*

*Completor ut in feriali officio.*

AD MATUT.

*Invitator. Laudemus Deum nostrum: \* In Sanctissimâ Infantia Beatæ Virginis MARIE.*

HYMNUS 308.

Omnes fideles plaudite,

Et Virginem infantiam

Devoto corde colite,

Mirantes ejus gratiam.

Nam in Puellâ tenerâ

Ornat sensus maturitas:

Et panditur per opera

Habitans intus Deitas.

Docta, matura, strenua,

Et honore spectabilis:

Virtute scandens ardua

Cunctis præstans et humilis.

Sic Conditoris munere

Miris ornata dolibus,

Ut digna foret parere

Deum castis visceribus.

Sit Trinitati gloria,

Nobis dedit nam Virginem

Salvos potest quæ reddere

Suos amantes famulos. Amen.

IN I. NOCT.

*Ant. 1. Ab infantia suâ \* timuit Dominum Virgo MARIA, et dilexit illum corde perfecto.*

2. Ab infantia meâ \* crevit mecum miseratio: de utero matris meæ egressa est mecum.

3. Diligite \* parvuli infantiam meam, et vivet anima vestra.

¶. Sicut liliū inter spinas.

¶. Sic amica meæ inter filias.

*Sequentes Lectiones dicuntur in Dupl. mayor.*

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. c. 6. 3.

Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem: terribilis, ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ assenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis. Tu autem Domina nostra intercede pro nobis. *¶. Deo gratias. Sic terminantur semper Lectiones.*

¶ Infans immaculata, \* Per quam  
iis qui erant in mundo innotuit po-  
tentia Sacratissima Trinitis. ¶ In-  
fantia gratissima, ex millibus electa,  
ipsa virginitate sacrator.—  
Per quam.

*Bened. Primogenita Dei Filia.*

LECTIO 2.

Adolescentularum non est numerus.  
Una est columba mea, perfecta  
mea, una est Mater suæ, electa  
genitrici suæ. Viderunt eam filiae,  
et beatissimum prædicaverunt: re-  
ginae et concubinae, et laudaverunt  
eam. Quæ est ista, quæ progredi-  
tur, quasi aurora consurgens,  
pulchra ut luna, electa, ut sol,  
terribilis ut castrorum acies or-  
dinata. Tu.

¶. Hæc est Puella illa benedi-  
cta, \* Quam præparavit Deus spon-  
sam electam et carissimam Spiritui  
Sancto. ¶ Puella decora nimis,  
Virgoque pulcherrima, et incog-  
nita viro.—Quam.

*Bened. Spiritus Sancti Sponsa.*

LECTIO 3. 8. 8.

Soror nostra parva, et ubera non  
habet: quid faciemus sorori nostræ  
in die quando alloquenda est? Si  
murus est, adificemus super eum  
propugnacula argentea: si ostium  
est, compingamus illud tabulis  
cedrinis. Ego aurus: et ubera mea  
sicut turris, ex quo facta sum co-  
ram eo, quasi pacem reperiens. Tu.

¶. Quam pulchra es, et quam  
decora, carissima in deliciis! \*  
Quam pulchri sunt gressus tui  
in calcamentis, filia Principis!  
¶. Quid videbitis in Sulamite, nisi  
choros castrorum.—Quam.—Gloria.—  
Quam. *In Duplib. 1. et 2.*  
*Class. Quam pulchra.*

IN H. NOCT.

*Ant. 1. Pulcherrima \* adole-  
scentula, omni ex parte benedicta  
et veneranda.*

2. Adolescentula \* Virgo et spe-  
ciosa in omnibus finibus Israel.

3. Puella pulchra \* nimis et  
decora, gaudium universæ terra.  
¶. Ostende mihi faciem tuam.  
¶. Sonet vox tua in auribus  
meis.

*Pater noster. Absolutio. Ipsius.*

*Bened. Dei Mater.*

*Sermo S. Joannis Damasceni.*

*Honil. in Nat. B. V.*

LECTIO 4.

¶ Speciosissima, dulcissimaque  
Puella! O lilium inter spinas, ex  
generosissimâ, et maximè regiâ  
radice davidicâ progenitum! Per  
te regnum sacerdotium locupletatum  
est. Per te legis facta translatio est.  
patefactusque Spiritus, qui sub lege  
delitescebat: translata nimirum  
ex leviticâ turbâ ad Davidicam sa-  
cerdotali dignitate. Tu.

¶. Benedictus Deus in cujus con-  
spectu ambulaverunt patres mei: \*  
Deus, qui pascit me ab adolescentiâ  
meâ secretò Deus erat in taberna-  
culo meo.—Deus.

*Bened. Filia Dei.*

LECTIO 5.

O rosa, quæ ex spinis, Judæis sci-  
licet, orta es, divineque odore cun-  
cta perfudisti! O filia Adami, et  
Dei Mater: beati lumbi et venter,  
ex quibus prodisti! Beatæ ulnæ,  
quæ te gestaverunt: labia iem qui-  
bus castis oculis frui concessa es,  
parentum nempe dimixtat tuorum,  
ut in omnibus semper virginitatem  
coleres. O Joachim et Anna sacra-  
tissima Filia, quæ Principalibus et  
Polestatibus, ignisque maligni telis  
latuisti: quæ in Spiritus thalamo  
versata es, et sine maculâ custodi-  
ta, ut Sponsa Dei, naturæque Dei  
Mater esses. Tu.

¶. Dic ergò obscuro te, quòd  
soror mea sis, \* Ut benè sit mihi

propter te, et vivat anima mea ob  
gratiam tui. ¶. Soror nostra es,  
crescas in mille millia.—Ut.

*Benedict. Ignem.*

LECTIO 6.

O sacratissima Filia, quæ in mater-  
nis ulnis cerneris, apostolicisque  
virtutibus formidabilis es! O sacra-  
tissima Filia, quæ Matris uberibus  
lactaris, atque ab Angelis undiquè  
cingeris! O cara Deo Filia, paren-  
tum decus! quàm ut abs te verè  
dictum est: generationes omnes  
beatam de dicent. Tu.

¶. Pulchra nimis et decora facie  
Virgo MARIA: \* Inter cæteras pul-  
las placuit Deo, et invenit gra-  
tiani in conspectu illius. ¶. Multæ  
filiae congregaverunt divitias, in su-  
pergressa es universas.—Inter.—  
Gloria.—Inter. *In Dupl. 1. et 2.*  
*Class. Pulchra.*

IN III. NOCT.

*Ant. 1. Cum junior esset \* om-  
nibus, nihil tamèn puerile gessit in  
opere.*

2. Ab infantia \* Deum timuit,  
et ab omni peccato se abstinuit.

3. Infans \* perfecti decoris, can-  
dor lucis, et speculum sine maculâ.  
¶. Immortalis est memoria il-  
lius.

¶. Apud Deum nota est et apud  
homines.

*Pat. nost. Absol. Avinculis Be-  
nedictio. Evangelica. Sequens Ho-  
mia dicitur in Duplicib. mayorib.*

LECTIO 8. Evangelii secundum  
Matthæum.

LECTIO 7.

Liber generationis JESU-Christi,  
Filii David, filii Abraham. Et re-  
liqua.

Homilia S. Fulberti Ep. Carnutensis

*Serm. de Nat. B. V*

Nata est Beatissima Virgo patre  
Nazarenò, Matre Bethleemita,

quæ urbes Christi nativitati, vel  
conversationi destinatas esse Pro-  
phetæ non tacuerunt. Descendit  
autem à radice illius fide præclari  
Aabræ, cui supernè promissa fue-  
rat benedictio omnium gentium in  
semine suo, et ab stirpe David,  
quem Deus propter notam sibi pro-  
bitatem egregiâ laude sublimavit,  
dicens: invenit virum secundum  
cor meum. Tu.

¶. Introduxit me Rex in cella-  
ria sua: \* Exultabimus et letabi-  
mur in te memores misericordiarum  
tuarum. ¶. Dum esset Rex in acu-  
bitu suo, nardus mea dedit odorem  
suavitatis.—Exultabim.

*Bened. Cujus Infantiam.*

LECTIO 8.

De regali nempe tribu, simul et sa-  
cerdotali duxit originem, quæ sum-  
mum Regem atque Pontificem erat  
paritura. Non tamèn hæc ideò  
dixerimus, quòd Dominus, qui pec-  
catores vocare venerat, dignatus  
sit, Matrem suam peccatores habe-  
re cognatos, inter quos speciosa, ve-  
lut inter spinas lilium, apparet. Tu.

¶. In odorem unguentorum  
tuorum currimus: \* Adolescentulæ  
dilexerunt te nimis. ¶. Speciosa fac-  
ta es et suavis in deliciis tuis, Vir-  
go MARIA.—Adolesc.—Gloria.  
Adolesc. *In Dupl. 1. et 2 Clas.*  
*In odorem.*

*Bened. Per Virginem Matrem.*

LECTIO 9.

Hæc itaque electa, et insignis inter  
filias, non fortuito quidem, aut so-  
lo placito parentum, vel plerique:  
sed divina dispensatione nomen ac-  
cepit, ità ut ipsa quoque vocabuli  
sui figura quoddam innoe-  
ret, interpretatur enim Maris Stel-  
la. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

*et per Horas antiphona.*

1. Ecce nubecula \* parva qua-

si vestigium hominis ascendebat de mari.

2. Fons parvus \* crevit in fluvium maximum, et factus est plurimas redundavit.

3. Abscisus est \* lapis de monte sine manibus, et factus est mons magnus, qui implevit universam terram.

4. Puella ista \* erit magna coram Domino, nam et manus ejus cum ipsa est.

5. Ipsa est \* mulier, quam preparavit Dominus Filio Domini mei.

CAPITULUM. Cant. 6. 8.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.

HYMNUS 317.

O dulcis Infans, ô Soror!  
Crescas, ut infelix genus,  
Quod prima Mater perdidit,  
Mater reformes altera.

Tibi perenni fœdere,  
Infans, vovemus pectora:  
Quâ tota jam consumeris,  
Fac charitate fervent.

Sit Trinitati gloria  
Nobis dedit nam Virginem,  
Salvos potest quæ reddere  
Suos amantes famulos. Amen.

ÿ. Adducentur Regi Virgines post eam.

ÿ. Afferentur in lætitiâ et exultatione.

Ad Bened. ant. Trahe nos, \* et post te curremus in odorem unguentorum tuorum: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Oratio.

Majestatem tuam, omnipotens Deus, supplices deprecamur: ut qui exultantibus animis Beatissimæ sempæque Virginis MARIE Commemorationem celebrare gaudemus, ejus gloriosiss precibus et

meritis, ab instantibus malis, et à morte perpetuâ liberemur. Per Dominum nostrum JESUM-Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia sæcula seculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Ecce nubecula. Capit. Una est. de Laud.

ÿ. ð. br. Que in tuâ Infantia maximè Deo placuisti.

Oratio de Laudibus.

AD TERTIAM.

Ant. Fons parvus.

CAPITULUM. Sap. 10. 7. Super salutem, et speciem dilexi illum, et proposui pro luce habere illum, et proposui pro luce habere illum, quoniam inextinguibile est lumen illius. ð. Deo gratias.

ÿ. br. Vulnerasti Cor meum, \* Soror mea.—Vuln. ÿ. In uno oculorum tuorum.—Soror.—Gloria.—Vuln.

ÿ. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

ÿ. Collum tuum sicut monilia. Oratio de Laudibus.

AD SEXTAM.

Ant. Abscisus est.

CAPITULUM. Sap. 8. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tedii mei. ð. Deo gratias.

ÿ. br. Pulchræ sunt genæ tuæ \* Sicut turturis.—Pulchræ. ÿ. Collum tuum sicut monilia.—Sicut.—Gloria.—Pulchræ.

ÿ. Sicut villa coccinea labia tua. ð. Et eloquium tuum dulce.

Oratio de Laudibus.

AD NONAM.

Ant. Ipsa est.

CAPITULUM. Sap. 8. 10. Intrans in domum meam conqui-

escam cum illâ: non enim habet amaritudinem: conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed lætitiâ et gaudium. ð. Deo grat. ð. br. Sicut villa coccinea \* Labia tua.—Sicut. ÿ. Et eloquium tuum dulce.—Labia.—Gloria.—Sicut.

ÿ. Puella perfecti decoris. ð. Gaudium universæ terre.

Oratio de Laudibus.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Te amavi, \* et exquisivi à juventute meâ, Virgo MARIA.

2. Quàm pulchrâ \* et quàm suavis os, carissima Puella, in deliciis tuis.

3. Cogitare de illâ \* sensus est consummatus.

4. Circuibam quærens, \* ut mihi illam assumerem, quia amator factus sum formæ illius.

5. Qui me invenit, \* inveniet vitam et hauriet salutem à Domino.

CAPITULUM. Cant. 6. 8.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. ð. Deo gratias.

HYMNUS 318.

Quàm pulchrâ laudandi Deum,  
Quàm magna mirandi seges,  
Se prodit in suâ staltim  
Virgo parens Infantia!

In moribus maturitas,  
Etate major exiit;  
Sed necquid humanum fuit

Os præter in te cernere.

Roseta qualis despicit  
Se palma tollens altius  
Sic Virgo cunctas anteis  
Virtute cresces filias:

Crescis, Deique munere  
Ornata tantis dotibus,  
Fis sola digna gignere  
JESUM salutis Hostiam.

Sit Trinitati gloria,  
Nobis dedit nam Virginem,

Salvos potest quæ reddere  
Suos amantes famulos. Amen.  
ÿ. Beatus venter, qui te portavit.

ÿ. Et ubera, quæ suxisti.

Ad Magnific. ant. Audi, Filia, \* et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum Patris tui, quia concupivit Rex speciem tuam.

Oratio de Laudibus.

Sequens Homilia dicitur in Duobus minoribus.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 1. 1.

Liber generationis JESU-Christi, filii David, filii Abraham. Et reliqua.

Homilia Sancti Justini Martyris.

Dialog. cum Tryphon. n. 100.

Filius igitur hominis seipsum dicebat, vel quia natus erat ex Virgine, ut jam dixi, ex Davidi, et Jacobi, et Isaaci, et Abrahami genere orâ; vel quia ipsius Pater extitit Abraham, et eorum, quos recensui, ex quibus genus ducit MARIA. Nam qui feminas genuere, eos liberorum quos filia suscipiunt, patres esse scimus. Nam et unum ex discipulis suis, qui cum, revelante ipsius Patre, Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur. Tu. ð. Introduxit me. p. 889.

LECTIO 8.

Et cum Deum Filium Dei esse in commentariis Apostolorum scriptum legamus, et Filium dicimus illum, et esse intelligimus ac ante omnes res creatas ex Patre ipsius virtute et voluntate produisse (qui quidem et sapientia, et dies, et oriens, et gladius, et lapis, et virga, et Jacob, et Israel, alio atque alio modo in Prophetarum libris

appellatus est), et ex Virgine hominem esse factum, ut quã viã initium orta à serpente inobediencia accepit, eãdem et dissolutionem acciperet. Tu. ꝑ. In odorem. p. 889.

## LECTIO 9.

Eva enim cum Virgo esset, et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobediencia et mortem peperit: MARIA autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti Angelo Gabrieli lætum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam; ideòque id quod nasceretur ex ea sanctum, esse Filium Dei respondit: fiat mihi secundum Verbum tuum. Ex hæc ille genitus est, de quo tot scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus serpentem, eique assimilatos Angelos, et homines profligat: eos autem, qui præve factorum penitentiam agunt, à morte liberat. Tu. Te Matrem.

Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 3. 23.

In illo tempore: JESUS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius JOSEPH, qui fuit Heli, qui fuit Mathat. Et reliqua.

Homilia Divi Joannis Episcopi Jerosolymitani.

De institutione Monach. c. 33. in Bibl. PP.

Quæro ergò, quid fuit puerum Eliæ semel per decem gradus ascendere ad prospiciendum contra mare, et tunc ei nihil apparere. Certè hoc nihil aliud fuit, nisi quòd puer, id est, cæcus discipulorum, Eliæ, contemplando ascendit per illas decem generationes humanas à Beato Luca in Genealogia Christi positas, quæ fuerunt ante diluvium ab Adam usque ad Noe in primâ mundi æta-

te, et per eas discurrendo totum tempus, quod fuit à Noe usque ad Adam puer prospexit, si fortè eo tempore nubecula, id est, Infantula, aliqua esset nata contra mare, id est, contra solitam amaritudinem in villosâ propagine naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa, nasci in illâ primâ ætate mundi, ideò puer dicit: non est quicquam. Tu. ꝑ. Introduxit. p. 889.

## LECTIO 8.

Præcepto tamen Eliæ rediit iterum puer septiès per decem gradus ad prospiciendum contra mare: Et rursum, inquit, ait illi: revertere septem vicibus, et in primis sex vicibus nihil illi apparuit. Hoc autem scilicet, quod puer, id est, cæcus discipulorum, Eliæ, sexties per decem gradus rediens, nil vidit, denotat, eum ulterius per alias sex ætates generationum humanarum contemplando descendisse in Genealogia Christi, quam Beatus Lucas textit à Sem filio Noe, usque Janne filium Joseph. Tu. ꝑ. In odorem. p. 889.

## LECTIO 9.

Per has quidem sex ætates generationum à Beato Luca in Genealogia Christi positarum, ascendit puer, id est, cæcus discipulorum, Eliæ, discurrendo totum tempus, quod fuit à Janne usque ad Sem, et contemplando si fortè eo tempore nubecula, id est, Infantula, illa, esset nata. Et quia solo illo tempore nata non fuit, ideò tunc discipulus Eliæ minimè apparuit, quia in tempore comprehenso infra septimam illarum generationum ætatem, Beata MARIA nata à discipulis Eliæ visa fuit. Undè vice, inquit, unâ ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Tu. Te Matrem.

## III.

## TEMPORE

## PREGNATIONIS.

Quod totum Adventum Domini includit.

## IN I. VESP.

Ant. 1. Emitte Agnam \* Dominatorem terræ à petrâ deserti ad montem filie Sion.

Psalmi de ferid.

2. Fecit Dominus \* novum super terram, femina circumdat virum utero suo.

3. Venter tuus, \* Virgo MARIA, sicut acervus tritici vallatus liliis.

4. Congratulamini mihi, \* quia de meis visceribus genui Deum, et hominem.

3. Lælamine, \* et exultate in eâ, omnes qui diligitis eam.

## CAPITULUM. Isai. 7. 11.

Pete tibi signum à Domino Deo tuo sive in profundum inferni, sive in excelsum suprâ.

## HYMNUS 319. Brevis. Caritas.

Mysterium Ecclesie

Hymnum Christo referimus,

Quem genuit Puerpera

Verbum Patris in Filium.

Sola in sexu femina

Electa es in sacula,

Et meruisti Dominum

Sancto portare in utero.

Vates antiqui temporis

Prædixerunt quod factum est,

Quia Virgo conciperet

Et pareret Emmanuel.

Mysterium hoc magnum est,

MARLE quod concessum est,

Ut Deum, per quem omnia,

Ex se proderet cerneret.

Sit laus Patri, laus Filio,

Sit par tibi laus Spiritus,

Quo dante, Virgo concipit,

Manetque semper integra. Amen.

Hoc Doxolog. dicitur in Hymnis ejusd. metri.

ꝑ. Ave MARIA, gratiã plena. ꝑ. Dominus tecum.

Ad Magnific. ant. Ecce completa \* sunt omnia, quæ dicta sunt per angelum de MARIA Virgine.

Oratio de Laudibus.

Completor de ferid.

AD MATUTIN.

Invitator. Benedicta tu in mulieribus: \* Et benedictus fructus ventris tui.

Psalm. Invitator. Venite, exultemus.

HIMNUS 320. Fr. Suvertus. Quas tibi tandè recilemus odas, Quas tuis dignas meritis ferens Vocibus laudes, tremulove plectro Virgo MARIA?

Angelus faustam Gabriel salutem Auferens celo tibi missus alto, Nuntiat summi Genito Parentis.

Te fore Marem.

Moxque concepam sobolem puidico

Ventris amplexu, nitido beati Corporis clausam gremio, noveno Mense tulisti.

Indè consueti spatio peracto Temporis, nullum patiens dolorem Lucidas partu puerum sereno Edis in auras.

Sit decus summo sine fine Christo,

Sancta quem Virgo genuit MARIA, Qui Patri compar, Spiritui Sancto Regnat in ævum. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. Virgo pariet \* filium, et claritas partus ejus replebit orbem terrarum.

2. MARLE Filius \* regnabit in domo Jacob in æternum. Amen.

3. Vocabitur \* nomen ejus, Admirabilis, Deus, Fortis.

ꝑ. Angelus Domini nuntiavit MARLE.

ñ. Et concepit de Spiritu Sancto. Pater nost. *Absol. Exaudi, Bened. Benedictione.*

*Sequentes Lectiones leguntur in Dupl. majorib.*

De Isaiâ Propheta.

LECTIO 1. c. 7. 10.

Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprâ. Et dixit Achaz: non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: audite ergo domus David: nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Tu autem Domina nostra intercede pro nobis. ñ. Rorate celi desuper, et nubes pluant justum: \* Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. ý. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium. —Aperiatur.

*Benedict. Primogenita.*

LECTIO 2.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia aequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur tertia, quam tu destalaris à facie duorum regum suorum. Tu. ñ. Spiritus Sanctus in te descendet MARIA: \* Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ý. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium. —Ne timeas.

*Benedict. Spiritus Sancti.*

LECTIO 3.

Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ; et Intellectus, Spiritus Consilii et Fortitudinis, Spiritus Scientiæ et Pie-

tatis, et replevit eum Spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oclorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitiâ pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terræ. Tu.

ñ. Suscipe verbum, Virgo MARIA, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: \* Concipies, et paries Deum pariter et hominem. ý. Benedicite fructus ventris tui. —Concipies. —Gloria. —Concip. *In diebus primæ et 2. clas. Suscipe.*

IN III. NOCT.

Ant. 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

2. Ne timeas, MARIA, \* invenisti enim gratiam apud Dominum.

3. Spiritus Sanctus \* superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

ý. Ecce ancilla Domini.

ñ. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Pater nost. *Absol. Ipsius. Bened. Sermo S. Aguslini Episcopi. Serm. 83. in append.*

LECTIO 4.

Loquamur aliquid fratres, in laudibus sacratissimæ Virginis MARIE. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus? Cum etsi omnibus nostrorum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Alior cælo est, de qua loquimur. Abyso profundior, cujus laudes dicere conamur. Hæc est enim quæ sola meruit Mater et Sponsa vocari. Hæc primæ Matris damna resolvit. Hæc homini perdit redemptionem adduxit. Tu.

ñ. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: \* Quod enim ex te nascetur

sanctum, vocabitur Filius Dei. ý. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum. —Quod.

*Bened. Filia Dei.*

LECTIO 5.

Mater enim generis nostri penam intulit mundo: Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti MARIA: Eva occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit: Illa percussit, ista sanavit. Hæc enim mirabili, atque ineffabili modo omnium rerum, et suum peperit Salvatorem.

Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus Sanctus? Quæ tam speciosa, ut eam Deus sibi eligeret sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset Virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, et porta in domo Dei clausa. Tu.

ñ. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, \* Et requiescet super eum Spiritus Domini. ý. Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel. —E. requiescet.

*Bened. Ignem divini.*

LECTIO 6.

Ad hanc, ut dixi, Spiritus Sanctus descendit: hanc virtus Altissimi obumbravit. Hæc est immaculata coitu, fecunda partu, Virgo lactans, Angelorum et hominum cibum nutriens. Merito namque beatæ singulari à nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit. Deniquè tantum se ad cæli fastigia sublevavit ut Verbum in principio apud Deum de supernâ cæli arce susceperet. Tu.

ñ. Beata es Virgo MARIA, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: \* Genisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ý. O felix

MARIA, et omni laude dignissima, cujus visceribus auctor cæli et terræ committitur. —Genisti. —Gloria. —Genisti. *In Dupl. 1. et 2. class. Beata es.*

IN III. NOCT.

Ant. 1. O sublimis Puerpera, quæ Dominum Deum concepsisti!

2. Concipiet Virgo, \* et pariet Deum pariter et hominem.

3. Quis audivit \* unquam tale, et quis vidit huc simile.

ý. Et Verbum caro factum est. ý. Et habitabit in nobis.

*Sequens Homilia dicitur in Dupl. majoribus.*

Pater nost. *Absol. A vinculis. Bened. Evangelica.*

LECTIO S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua, Homilia Vener. Bedæ Presbyteri.

*In cap. 1. Lucæ.*

Ad MARIAM Virginem Gabriel mittitur, qui Dei solitudo nominatur. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicte tu in mulieribus. Bene gratiâ plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur; ut ipsam videlicet gratiâ concipiat et generet auctorem. Tu.

ý. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: \* Et erit in die illâ lux magna. ý. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia. —Et erit.

*Benedict. Cujus Conceptum.*

LECTIO 8.

Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patrîs ejus. Item

ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus et natus est. Idem homo in tempore natus ex Matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantum dicere ex Virgine natum. Tu.

¶ Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam coram Domino.—Ave.—Gloria.—Ave. *In Duplice* 1 et 2. *cls. Ingressus.*

*Bened. Per Virginem.*

## LECTIO 9.

Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis, Nestoriane, qui Beata MARIAM Dei regans esse Genitricem, aperte niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nascenturum. Quomodo ergo, aut Dei Filius non est, aut quæ Deum edidit, quomodo Theologos, id est, Dei Genitrix non esse potest? Tu.

Te Matrem.

## AD LAUDES

*et per Horas antiphona.*

1. Missus est Angelus Gabriel ad MARIAM Virginem desponsatam JOSEPHI. *Psalmi de ferid.*

2. Ave MARIA, gratia plena, Dominus tecum.

3. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

4. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

5. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

*CAPITULUM. Isai. 7. 11.*  
Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.

HYMNUS. 321. *Clairè.*

Quem terra fundo divite,  
Quem pontus alto gurgite,  
Quem celsa laudant sidera

Gestant MARLE viscera.  
Cui luna, sol, et omnia

Statuta pendunt munia,  
Captivus expers luminis,  
Portatur alvo Virginis,

Beata cujus munere  
Se clausit alvi carcere,  
Qui cuncta solus sustinet,

Unusque cuncta continet.  
Beata cæli nuntio,  
Felix Dei consortio,

Quæ natus infans genibus  
Desideratus omnibus.

Sit laus Patri, laus Filio,  
Sit par tibi laus Spiritus,

Quo dante Virgo concipit,  
Manetque semper integra. Amen.  
¶ Ne timeas MARIA.

¶ Invenisti gratiam apud Deum.  
*Ad Bened. ant.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus descendet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

*Oratio.*

Deus qui de Beata MARLE Virginitate, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem. Dom.

## AD PRIMAM.

*Ant.* Missus est. *Capt.* Pete tibi de Laudibus.

¶ *br.* Quæ de Spiritu Sancto conceptisti.

## AD TERTIAM.

*Ant.* Ave MARIA.

*CAPITULUM. Isai. 7. 14.*

Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

¶ *br.* Angelus Domini Nuntiavit MARLE.—Angelus. ¶ Et concepit de Spiritu Sancto.—Nuntiavit.—Gloria.—Angelus.

¶ Ecce ancilla Domini.

¶ Fiat mihi secundum Verbum tuum.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Benedicta.

*CAPITULUM. Isai. 7. 15.*

Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

¶ *br.* Ecce Ancilla Domini.—Ecce. ¶ Fiat mihi secundum verbum tuum.—Ancil.—Glor.—Ecce.

¶ El Verbum caro factum est.

¶ El habitavit in nobis.

## AD NONAM.

*Ant.* Ecce ancilla.

*CAPITULUM. Isai. 11. 1.*

Egreditur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.

¶ *br.* El Verbum Caro factum est. ¶ El Verb.

¶ El habitavit in nobis.—Caro fact.—Glor.—El.

¶ Beata quæ credidisti.

¶ Et invenisti gratiam apud Deum.

## IN H. YESP.

*Ant. 1.* Beata es, Virgo MARIA quæ omnium portasti Creatorem.

2. Tuis sacris visceribus genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

3. Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

4. Quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

5. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

*CAPITULUM. Isai. 7. 11.*  
Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.

HYMNUS 322. *S. Petr. Dam.*

Genitrix æterni,  
Virgo MARIA, Verbi!  
Quæ vox, quæ lingua carnis

Par erit tuæ laudis?

Immensum conceptisti,

Parenlem peperisti:

Fit factor et factura,

Creans et creatura.

Quem mundus ferre nequit,

Totum vulva concepit:

Quo circuli æther:

Puellæ clausit venter.

Servi formâ indutus,

Divinâ non exutus:

Suscepit quidem tua,

Sed non amisit sua.

Conceptus secundavit,

Natus non violavit:

Intravit et exivit,

Sed clausum dereliquit.

Sit tibi laus, Altissime,

Qui natus es ex Virgine:

Sit honor ineffabili

Patri sanctoque Flamini. Amen.

¶ Ecce Virgo pariet Filium.

¶ El vocabitur Emmanuel.

*Ad Magnif. ant.* Ventre beato

gaudia Matris habens cum Virginitatis honore, nec præciam similem

visa est, nec habere sequentem.

*Oratio de Laudib.*

*Completor. ut in ferid.*

*Sermons Homilia dicitur in Duplicib.*

LECTIO 7. *c. 1. 29.*

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Gallilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. El reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*Serm. 3. in Annunt. B. V.*

Miraris, quòd Nazareth parva civitas, et tanti Regis nuntio illustratur et tanto? Sed magnus latet in hæc parva civitate thesaurus: latet, inquam, sed homines latet, non Deum. An non thesaurus MARIA? Ubicumque illa est, et cor ejus.

Oculi ejus super eam: ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. No-

37

vit cœlum Unigenitus Dei Patris. Si novit cœlum, novit et Nazareth. Tu. *¶* Ecce Dominus. p. 895.

## LECTIO 8.

Ne timeas MARIA, invenisti gratiam apud Deam. Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem? Utramque sine dubio, quia plenam, et eò singularem, quò generalem: ipsam enim generalem singulariter accepisti. Eò, inquam, singularem, quò generalem, nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem, quòd sola hanc invenisti plenitudinem. Generalem, quòd de ipsa plenitudine accipiunt universi. Tu. *¶* Et ingress. p. 896.

## LECTIO 9.

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes, te mediante, pervenit. Sic mirum, sic olim ros totus in vellere, totus in arca, sed in nullà parte arca totus, sicut in vellere fuit. In te solà Rex ille dives, et prædives exinanitus, excelsus humiliatus, immensus abbreviatus, et ab angelis minoratus est: verus denique Deus, et Dei Filius incarnatus. Tu. Te Matrem.

*Sequens Homilia dicitur in Semidup.*

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Joann. Damasceni.

*Homil. 1. cum Dorm. B. V.*

Cum autem venit, ut divinus Apostolus ait, plenitudo temporis, ad hanc vere Dei Filium angelus Gabriel à Deo missus est, quam hisce verbis est allocutus: Ave gratià plena, Dominus tecum. Præclara

sanæ Angeli ad eam, quæ Angelis præstabat, allucio. Gaudium enim totius orbis affert. Ista verò ob sermonem ejus turbata est, ut quæ cum viris colloqui minimè consueverat, cum virginitatem sedulo servare instituisset. Cogitabat autem qualis esset ista salutatio. Tu. *¶* Ecce Dominus. p. 896.

## LECTIO 8.

Planè gratiam invenit, quæ gratià digna erat. Gratiam invenit, quæ gratiæ labores excoluerat, copiosamque segelem collegerat. Gratiam invenit, quæ gratiæ semina progenuit, et plenissimam gratiæ messem retulit. Gratiæ abyssum invenit, quæ duplicis Virginitatis navem servaverat incolumem. MARIA enim non minus animum, quam corpus Virginem custodierat: undè etiam constabat corpori virginitas. Tu. *¶* Et ingress. p. 896.

## LECTIO 9.

Et paries, inquit, Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Quid ad hæc verè sapientiæ thesaurus? Evam quidè primam parentem non imitatur: sed incantam politius ejus simplicitatem emendat, sequè naturæ patrociniò munit: sic angelus verbis reponens: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Impossibilia narras, inquit, nam sermò tuus naturæ leges frangit, quas summus Pontifex sancit. Secunda Eva dici non patior, nec Conditori voluntatem possum dare. Tu. Te Matrem.

## IV.

## TEMPORE.

## PUERPERII.

*A Nativitate Domini usque ad Purificationem.*

## IN I. VESP.

*Ant. 1. Generationem ejus \* quis*

enarrabit? Virgo peperit Salvatorem.

*Psalmi de ferid.*

2. Quis audivit \* unquam tale? Et quis vidit huic simile?

3. Et erit \* germen Domini in magnificentià et gloria, et fructus terræ sublimis.

4. Hic est \* Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

5. Dilectus meus \* mihi, et ego illi: inter ubera mea commorabitur.

## CAPITULUM. Ad Gal. 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil difert à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

## HYMNUS 323. Brev. Cart.

Verè gratià plena es,  
Et gloriosa permanens,  
Quia ex te nobis natus es  
Christus per quem sunt omnia.

Pastores, qui audierunt:  
Gloriam Deo cantarunt:  
Cucurrerunt in Bethleem,  
Natum videre Dominum.

Sic Magi ab ortu solis  
Propter stellæ iudicium,  
Probantes typum gentium  
Primi offerunt munera.

Rogemus ergò populi  
Dei Matrem et Virginem,  
Ut ipsa nobis impetret  
Pacem et indulgentiam.

JESU, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine  
Cum Patre et almo Spiritu  
In sempiterna sæcula. Amen.

*Hæc Doxologia dicitur ad hymnos ejusd. metri.*

1. Homo natus est in eà.

2. Et ipse fundavit eam Altissimus.

3. Ad Magnific. ant. Misit Deus \* Filium suum factum ex muliere,

factum sub lege, ut adoptionem filiorum reciperemus.

*Oratio de Laudib.*

*Completor. de ferid.*

## AD MATUTIN.

*Invitator.* Christum natum de MARIA Virgine, \* Venite, adoremus.

*Psalm. invitator.* Venite, exultemus. p. 1.

## HYMNUS 324. S. Petr. Dam.

Blandire, Mater, caro  
Qui te creavit Natio:  
Oscula grata fige,  
Fasciis membra cinge.

Amplexere cœlestem,  
Quem genuisti regem:  
Cui servit sol et luna  
Et omnis creatura.

Chori virtutum tremunt,  
Quem viles panni tegunt:  
Pavet cœlum et terra  
Quem bajulat Puella.

Vagit in sinu Matris,  
Regnat in throno Patris,  
Legem Matris observat,  
Mundi jura gubernat.

Da nobis hunc in fervido  
Mentis gestare gremio:  
Ex tuâ carne genitus  
Nostris regnet in sensibus.

Sit tibi laus, Altissime,  
Qui natus es ex Virgine:  
Si honor ineffabili  
Patri sanctoque Flamini. Amen.

## IN I. NOCT.

*Ant. 1.* Lava ejus, \* su capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

2. Dilectus meus \* mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia.

3. Totus desiderabilis: \* talis est dilectus meus.

4. Delectationes in dextera tuâ. *¶* Usque in finem.

5. Pater noster. *Absol.* Exaudi. *Bened.* Benedictione.



900 *Tempore*  
*Sequentes Lectiones dicuntur in*  
*Dupl. maiorib.*

De Epistolâ Beati Pauli ad Galatas.

LECTIO 1. c. 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus, et actoribus est usque ad præfinitum tempus à Patre. Ità et nos, cum essemus parvuli sub elementis mundi eramus servientes. Tu.

¶ Jacob genuit JOSEPH virum MARIE, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus, et Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.—Qui vocatur.  
*Bened. Filia Dei.*

LECTIO 2.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Tu.

¶ Puer crescebat, et confortabatur. ¶ Plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. ¶ Et Mater ejus conservabat omnia verba in corde suo.—Plenus.

*Bened. Spiritus Sancti.*

LECTIO 3.

Itaque jam non est servus, sed Filius. Quod si Filius et hæres per Deum. Sed hunc quidem ignorantes Deum, isti, qui naturâ non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, timo cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Tu.

¶ Benedicta est tu Filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, et quia per

*Puerperâ.*  
te fructum vitæ communicavimus. ¶ Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.—Quia.—Gloria.—Quia. *In Dupl. 1. et 2. Class. Benedicta.*

IN H. NOCT.

*Ant. 1.* Quis mihi del te fratrem meum sugentem ubera matris meæ!

2. Utinam inveniam te, et deoscular te, et jam me nemo despiciat.

3. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

¶ Veritas de terrâ orta est.  
¶ Et justitia de cælo prospexit.  
Pater noster. *Abs. Ipsius pietas. Bened. Dei Mater.*

Sermo S. Laurentii Justiniani Ep. De casto connubio c. 9.

LECTIO 9.

MARIA est gloriosa Domina, et beata femina, innupta, et fecunda, Mater et Virgo, ancilla et Genitrix, quæ culpam abstulit, et dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitii, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Ipsa effecta est porta cæli, paradisi janua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxiliium periclitanti, erranti via, desperanti salus, interemptrix peccati, diaboli terror. Tu.

¶ Beata Dei Genitrix MARIA, cujus viscera in lacta permanent post partum: Nobis genuit Salvatorem sæculorum. ¶ Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei à Domino.—Nobis.

*Bened. Filia Dei.*

LECTIO 5.

MARIA est tabernaculum testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida,

*Comm. Festiv.*

901

nubeula levis, hortus conclusus, fons signatus, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, liliolum candens, flos nitens, virgula fumans, oliva virens, vitis fructificans, cupressus seattollens, palma florens, therebitius se expandens, corpus germinans, terra pulullans. Tu.

¶ Beata viscera MARIE Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. ¶ Extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit: beatus venter qui te portavit.—Et beata.  
*Bened. Ignem divini.*

LECTIO 6.

Est etiam Dei Genitrix Virgo gloriosa. Aurora surgens, Lucifer rutilans, luna pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suavior, margaritis carior, nectare dulcior, omni armoniâ delectabilior. Hæc est Virgo pudicissima, quæ chirographum abstulit decreti, et protoparentum abstulit opprobrium, quæ perenni mundo, et aquarum diluvio immendantis portum salutis aperuit. Tu.

¶ Osculetur me Mater mea osculo oris sui, quia meliora sunt ubera sua vino, Fragrantia unguentis optimis. ¶ Fasciculus myrræ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.—Fragrantia.—Gloria.—Fragrantia. *In Dupl. 1. et 2. Class. Osculetur.*

IN III. NOCT.

*Ant. 1.* Dominus dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum.

2. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

3. Quæ nullo suscepto semine Deum peperisti, et post partum Virgo permansisti.

¶ Beatus venter, qui te portavit. ¶ Et ubera, quæ suxisti. Pater noster. *Abs. A vinculis. Bened. Evangelica.*

*Sequens Homilia legit. in Dupl. maioribus.*

LECTIO 5. Evangelii secundum Mattheum.

LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam conveniret, inventa est in utero, habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi. *Vel alius. Enarrat. in Math. c. 1. inter ejus opera.*

Quærit quare de desponsatâ Christus Virgine voluit nasci? Multis scilicet de causis, ut scilicet per JOSEPH generatio texeretur, et MARIA ab infamiâ defenderetur. Cumenim mulier sit fragilioris sexûs et magis pudibundi voluit Matrem suam, et non seipsum ab infamiâ tueri. Ipse enim, demonium habere dicebatur; Filius patri, et potiori vini vocabatur, tamèn hæc et alia opprobria libenter patiebatur. Tu.

¶ Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore. Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cælo plenum. ¶ Et benedicta in æternum nobis protulit Deum et hominem.—Salvatore.

*Bened. Cujus.*

LECTIO 8.

Præterea noluit virginibus occasionem dare excusationis, eo quod Mater Domini infamata fuisset. Propter etiam aliam causam voluit de Virgine desponsatâ nasci ne de fornicatione damnata lapidibus obrueret, et etiam, ut haberet qui eam procuraret, et puerum, et eam

in Ægyptum ducerent, et ejus nutritus esset. Tu.

ꝑ. Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: \* Et procedens homo sine semine largitus est nobis suam delatam. ꝑ Quando natus est ineffabili ex Virgine, tunc impleta sunt scriptura. —Et. —Glor. —Et. *In Dupl. 1. et 2. Class. Creator. Bened. Per Virginem.*

## LECTIO 9.

Denique et est alia principalis causa, ut diabolo partus Virginis celaretur, ut cum eam gravidam videret, à sponso, culiceret, etiã desponsationis tempore, gravidatam esse putaret. Significatur etiã per MARIAM Ecclesia, quæ Virgo et Mater est. Tu. Te Matrem.

## AD LAUDES

et per Horas antiphonæ.

1. Gloriosa \* dicta sunt de te, MARIA, quæ Mater Dei effecta fuisti.

2. Homo \* natus est in eã, et ipse fundavit eam Altissimus.

3. Sicut lætantium, \* omnium habitatio est in me, quia in plenitudine sanctorum detentione mea.

4. Enixa es \* puerpera Regem, qui cælum terramque regit in sæcula.

5. Tenui eum, \* nec dimittam: inter ubera mea commorabitur.

## CAPITULUM. Gal. 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

## HYMNUS 325.

Nobis Deum, quæ parturis,  
O Virgo Matrum maxima,  
Preces tibi quæ fundimus,  
Offer benigna Filio.

Novi simul tu fuderis,

Et orbis arca naufragi:  
Columba pacis nuntia,  
Et pacis obses mitteris.

Quo vivis, à te suscipit

Vitam Creator omnium:  
Immensus inle nascitur,  
De te fit Æternus caro.

Tuis tenetur legibus  
Mundi tremendus Legifer  
A te puer lac mutual,  
Qui dat cibum, quo pascimus.

Cælum feracem suslines,  
Gressus Tonantis temperas,  
Suoque stantem numine  
Loco situque dimoves.

JESU, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spiritu  
In sempiterna sæcula. Amen.

ꝑ. Hic est Filius meus dilectus.

ꝑ. In quo mihi bene complacui.

Ad Benedict ant. Et Mater ejus \* conservabat omnia verba hæc confereus in corde suo.

## Oremus.

Deus, qui Filium tuum ad nos per Virginem diu natus es mittere, da nobis ad te, suffragantibus ejusdem Beatæ MARIE precibus, jugiter festinare. Per eundem.

## AD PRIMAM.

Ant. Gloriosa. *Capit. Quanto tempore.*

ꝑ. ꝑ. br. Quæ Filium Dei inviolata peperisti.

## AD TERTIAM.

Ant. Homo.

## CAPITULUM. Gal. 4. 1.

Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium sum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

ꝑ. br. Homo \* Natus est in eã. — Homo. ꝑ. Et ipse fundavit eam Altissimus. — Natus. — Gloria. — Homo.

ꝑ. Lava ejus sub capite meo.

ꝑ. Et dextera illius amplexabitur me.

## AD SEXTAM.

Ant. Sicut lætantium.

CAPITULUM. Galat. 4. 6.  
Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.

ꝑ. br. Lava ejus \* Sub capite meo. — Lava. ꝑ. Et dextera illius amplexabitur me. — Sub. — Gloria. — Lava.

ꝑ. Delectationes in dextera tuã.

ꝑ. Usque in finem.

## AD NONAM.

Ant. Tenui eum.

## CAPITULUM. Gal. 4. 7.

Itaque jam non est servus, sed filius, quod si filius, et hæres per Deum.

ꝑ. br. Delectationes \* In dextera tuã. — Delectationes. ꝑ. Usque in finem. — In. — Gloria. — Delectationes.

ꝑ. Hic est Filius meus dilectus.

ꝑ. In quo mihi bene complacui.

## IN II. VESP.

Ant. 1. Puerperã \* sine viro Virgo, ac post partum Virgo semper existens.

2. Peperit \* filium masculum qui recturus erat omnes gentes in virgã ferrea.

3. Peperit \* filium suum primogenitum, et pannis eum involvit.

4. Omnis gloria \* ejus à Partu, peperit enim ipsum Dominum.

5. Gloriosa \* dicta sunt de te Virgo MARIA, quæ Deum concepsisti, et peperisti.

## CAPITULUM. Galat. 4. 1.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.

HIMNUS 326. *Brev. Gallie.*  
Suppete cœlestes chori,  
Qui enclata pascit et fovet,  
Cibus perennis cœlitum  
Nunc lactis indiget cibo.

Verbum Patris factum caro  
Mortalis in Matris sinu,  
Labris puer tenellis  
Materna sugit ubera.  
Ablandiens Mater sinu  
Fovet vicissim Filium:  
Auctoris et se silens  
Miratur altricem sui.

O Virgo, fac tuã prece  
Nobis tuus sit Filius,  
Lac dulce, si parvi simus,  
Fortisque, si grandes, cibus.

JESU, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spiritu  
In sempiterna sæcula. Amen

ꝑ. Veritas de terrã orta est.

ꝑ. Et iustitia de cœlo prospexit.

Ad Magnif. ant. Parvulus natus est nobis de Virgine MARIA, et filius Dei datus est nobis. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

## Oratio de Laudibus.

Completoarium ut in seriali officio.  
Sequens Homil. dicitur in Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: cum esset depon-sata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam conveniret inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hildephonsi Archiep. Teletani

Serm. 2. in Nativ. Dom.

O felix MARIA! O genitrix gloriosa! O puerpera sublimis, ejus viciscribus auctor cœli et terræ committitur! O felicia oscula labiis impressa lactantis, cum inter crebra indicia raptantis infantie, utpotè

verus ex te Filius tibi Matri adluderet, cum ex Patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens, edidis in tempore puerperam, quem habueras ante conditionem. O felix puerperium, delectabile angelis, exspectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profugatis, qui post multas assumptione carnis injurias, et ad ultimum urebatur flagris, potatus felle, ut te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstravit. Tu. *ps. Nesciens p. 901.*

## LECTIO 8.

Tu verò beata, gloriosaque MARIA, inter ista, et propter ipsa laudabilis: quæ sic fecunditatis meruisti donum, Virginitatis quoque non amisisti suffragium. Tu es enim beuedicta inter mulieres, in præclara cunctis Virginum cateravis, in sequeris agnum, quocumque perrexerit. Tu virgineos choros, et ab incentivis carnis illecebris alienos, per albertia lilia, rosasque vernantes ad fontem hujus vite polandos invitas. Tu in illarum beatarum virtutum felicissimâ regione primi ordinis dignitate indempia plantis roscicis oberrans inter paradisi amenitatis gramineos choros tenero poplite pergens, felicique palma violas immarcescibiles carpis. Tu concinentibus sine fine conjuncta choris, Angelis, archangelisque sociata indefessa voce: Sanctus: clamitare non desinis. Tu. *ps. Creator generis. p. 902.*

## LECTIO 9.

Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixerò, minus profectò est, quàm dignitas tua meretur. Si Matrem genium te vocem, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutricem celestis panis te vociem, lactis dulcedine repleas. Lacta ergò, Mater,

cibum tuum: lacta panem celestem: lacta cibum angelorum: lacta eum, qui lactem fecit tibi, ut ipse firet in te: qui tibi munus fecunditatis attulit conceptus, et decus Virginitatis non abstulit natus: qui prorsquam nasceretur, te Matrem creavit, ex quà nasceretur, ut illine procederet tanquam Sponsus de thalamo suo, qui mortalibus oculis pisset videri. Quanta fuit hæc dignitas, ut crearetur ex te, quam creavit: portaretur manibus, quas formavit: surgeret tua ubera, quæ ipse implevit. Tu. Te Matrem.

*Sequens Homilia dicitur in Semiduplicibus.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum.

## LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Paschasii Ep. et Mart.

*In libr. Biblie parvæ titulo 23.*

Beata Virgo MARIA concepit Filium Dei, de illâ humanam carnem assumendo, ipsâ incorruptâ manente in partu, post partum, et ante partum. Et hoc, quod verum sit.... ostenditur per Jeremiam Prophetam dicentem: Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum, id est, virgo pariet virum, qui vocabitur pulchritudo justitiæ, mons sanctus, cui Dominus benedicat. Adhuc per Ezechielem Prophetam Virgo MARIA præfigurata est, cujus auctoritatem in medio proferam, sicut scriptum est, in libro ejus, ubi sic dicit: Converti me ad portam Sanctuarii, et erat clausa, et vir non transiit per eam, sed princeps ipse

sedebit in eâ. Tu. *ps. Nesciens Mater. p. 909.*

## LECTIO 8.

Aliàs convincitur per Spiritum Sanctum, qui Deus est, sicut scriptum est in libro Canticorum Salomonis, ubi inviolato pudori et partui Virginitatis MARIE canit, sic dicens: Hortus conclusus Soror mea, fons signatus, emissiones tuæ sicut paradisi Dei, in quo testificatur Salomon, quòd Virgo MARIA conceptura erat Virgo, et sine dolore aliquo paritura, et futura erat, cum hortus conclusus, et quasi fons signatus: idque quod ab eo procederet, quasi paradisi Dei, id est, Emmanuel, Nobiscum Deus, Deus nempe et homo, videlicet Salvator Christus, cujus cum omnes Deitatem aspexerint, Dei paradism in teuebantur, qui de prædicto horto clauso, et signato forte prodivit, id est, de excellentissimâ Virgine MARIA, quæ sine carnali complexu Filium Dei concepit, sicut lux per vitrum et ab eâ natus est, et jugiter clausa et signata permansit. Nam hæc tam excelsa et miranda conceptio edita est et facta supra omne corpus naturæ. Tu. *ps. Creator generis. p. 902.*

## LECTIO 9.

Qua propter in Beata Virginitate partu nihil extitit, quod ante et post partum fuerit superfluum, ut nonnulli malevoli arsi sunt dicere. Et quod hoc verum sit, Deus jam figuratiliè Moysis tempore demonstrare constituit. Legimus enim, quòd cum filii essent Israel in deserto, et sitis eos magna vexaret, ingens adfuit ibi saxum, et durissimus lapis. Et dixit Deus Moysi: Tange petram in virgâ, et illa dabit aquas. Dicite mihi, quæ intravit, vel quæ ingressa est aqua, cum esset undequaque interclusum sa-

xum? Sanè dicendum est, quòd supra omne naturæ opus est factum. Similiter ergò credimus, quòd concepit et peperit, et ingressus et egressus est supra omne opus naturæ. Tu. Te Matrem.

## V.

## TEMPORE.

## VITÆ CONTEMPLATIVE.

*A Purificatione usque ad Passionem.*

## IN I. VESPER.

Ant. 1. Dilectus meus \* mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

*Psalmi de forid.*

2. Fasciculus myrrhæ \* dilectus meus mihi inter utera mea commorabitur.

3. Ego dilecto meo, \* et ad me conversio ejus: tenui cum, nec dimittam.

4. Sub umbrâ \* illius, quem desideraverunt sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

5. Fulcite me \* floribus, et stipate me malis, quia amore languo.

CAPITULUM *Prov. 8. 34.*

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.

HYMNUS 327. *Ex quod devotion.*

Virgo, decus Angelicum  
In aure dulce canticum,  
In ore mel mirificum,  
In corde nectar cælicum.

Qui te gustant, esuriunt,  
Qui bibunt, adhuc sitiunt,  
Desiderare nesciunt,  
Nisi Matrem, quam diligunt.

O Mater amantissimal  
Mulierum pulcherrima:  
O sanctitatis anima,  
Accende cordis intima.

JESUM fac nos diligere,  
Nos tibi magis credere:  
In posterum non sapere

Nisi terrena spernere.  
Summo Pareni celitum,  
Magnaque Proli Virginis,  
Sancto simul Paraclo,  
Sit summa laus et gloria. Amen.

*Hæc de Dozolog. dicitur toto hoc tempore.*

ŷ. JESUS, Deus cordis mei.  
ŷ. Et pars mea JESUS in æternum.

*Ad Magnif. ant. Exulavit \* Spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem meam.*

*Oratio de laudibus.*

*Completor de ferid.*

AD MATUTIN.

*Invitator.* In honorem Beatissimæ Virginis MARIE \* Jubilemus Deo salutari nostro.

HYMNUS 328. *Fr. Suverius.*  
Quater felix, deciesque Mater  
Quæ thæntropon peperisse Regem,  
Cui subest orcus, mare, terra,  
cælum

Digna fuisti.

Tuque quam terræ Dominam  
vocamus,  
Quam maris stellam tumidi nitentem,

Quamque Reginam spatiosi Olympi  
Esse fatemur.

Filium nostris placidum precamur

Lapsibus reddas, animæque culpæ,  
Qui suâ nobis pietate celi

Gaudia donet.

Solare tristes, adjuva gementes,  
Erige lapsos, susline devotos,  
Infirmos sana, pauperi succurre,  
Mater es omnium.

Sit summo decus sine fine Christo  
Sancta quem Virgo genuit MARIA,  
Qui Patri compar, Spiritui Sancto  
Regnat in ævum.

IN I. NOCT.

*Ant. 1.* Venite ad me, \* en proferam vobis Spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

2. Omnes viæ ejus \* pulchræ, et omnes semite ejus pacificæ.

3. Ne dimittas eam, \* et custodiet te, dilige eam et conservabit te.

ŷ. Concupivit Rex decorem tuum.

ŷ. Quoniam ipso est Dominus Deus tuus.

*Pat. nost. Absol. Exaudi. Bened.*

*Benedictione.*

*Sequentes Lectiones dicuntur in Dupl. maj.*

De Canticis Canticorum.

LECTIO 1. c. 1. 11.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cyprî dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Tu.

ŷ. Fecit sibi cubiculum in corde suo, \* In quo clausa morabatur. ŷ. Omnis gloria filiæ Regis ab infus.—In quo.

*Bened. Primogenita.*

LECTIO 2. c. 2. 3.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam. Ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Tu.

ŷ. Filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, \* Adjuro vos, ne suscitelis, neque evigilare facialis dilectam, donec ipsa velit. ŷ. Ego dormio, et cor meum vigilat.—Adjuro.

*Bened. Spiritus Sancti.*

LECTIO 3. c. 12.

Surge, amica mea, speciosa mea,

et veni: columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceræ ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui paciscitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinetur umbra. Tu.

ŷ. Vulnerasti cor meum, Soror mea, Sponsa, \* Vulnerasti cor meum in uno oculo meo tuorum, et in uno crine colli tui. ŷ. Vox dilecti mei: en ipse stat post parietem nostram, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.—Vulnerasti.—Gloria.—Vulner. *In Dupl. 1. et 2. Class. Vula.—Sopor.*

IN II. NOCT.

*Ant. 1.* Cogitat Virgo, \* quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.

2. Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus laet.

3. Lex Dei ejus \* in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

ŷ. Deus in medio ejus.

ŷ. Non commovebitur.

*Pat. nost. Absol. Ipsius pietas.*

*Bened. Dei Mater.*

De Expositione B. Rupertii Abbatis in Canticis Canticorum. *Libr. 5.*

LECTIO 1.

Ego dormio, et cor meum vigilat. Ecce hic, ô MARIA beatissima, ecce hic nobis quasi per speculum in enigmate subluet vita tua, vita inclita, quæ cunctas illustrat Ecclesias. Totus ferè hujus capituli sensus ad illud pertinet, quod in te laet, et supra nos est, ut dicebat dilectus: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus laet. Tu.

ŷ. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, \* Absque eo, quod intrinsecus laet. ŷ. Oculi tui columbarum.—Absque.

*Bened. Filia Dei.*

LECTIO 5.

Admoveramus ergò hoc speculum, et diligenter oculis cordis exinde contemplerur, ut saltem aliquâ ex parte cognoscamus sanctissimam conversationem tuam. Dicis: ego dormio, et cor meum vigilat. Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui Sapientiâ Dei: In omnibus requiem quaesivi. Et quid hæc sunt: nisi optimam partem elegit, relictis cunctis sollicitudinibus, et curis sæculi? Tu.

ŷ. Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto meo, \* Quia amore langueo. ŷ. Ignis accensus est in corde meo, et defecit ferre non sustinens.—Quia.

*Bened. Ignem divini amoris.*

LECTIO 6.

Et quidem multæ filiæ, sivæ multæ animæ talièr dormierunt, vel dormire cupierunt, sed tu dormitionis hujus totum obtines magistrarium, et vigiliam cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur dilectus: Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. Hoc namque idem est, ac si diceret: vos dormite, et cor vestrum vigilet. Sic pater tuus Jacob, quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit. Tu.

ŷ. Quid mihi est in cælo, et à te quid volui super terram? \* Defecit caro mea, et cor meum Deus cordis mei. ŷ. Fulcite me floribus, et stipate me malis, quia amore langueo.—Defecit.—Gloria.—Defecit. *In Dupl. 1 et 2 Clas. Quid.*

IN III. NOCT.

*Ant. 1.* Spiritus meus \* super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

2. Odor \* unguentorum tuorum super omnia aromata.

3. Ne suscitelis, neque evigila-

refaciatis dilectam donec ipsa velit.  
 ¶ Exullavit Spiritus meus. ¶ In  
 Deo saluari meo.

Pater nost. Absol. A vinculis.  
 Benedict. Evangelica.  
 Sequens Homilia legitur in Dupli.  
 majoribus.

Leetio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 48.

In illo tempore: Dixit Mater JESU  
 ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?  
 Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Dom. infr. Octav. Epiph.  
 Quid est, quod ait Evangelista, scilicet,  
 quod ipsi non intellexerunt Verbum,  
 quod locutus fuerat? Non hoc de  
 MARIA dictum arbitror, quæ ex quo  
 Spiritus Sanctus supervenit in eam,  
 et ei virtus Altissimi obumbravit,  
 nullum Filii consilium potuit nescire,  
 sed ceteris nescientibus, sive non  
 intelligentibus, quod dixerit, MARIA,  
 ut sciens et intelligens conservabat omnia  
 verba hæc conferens in corde suo.  
 Tu.

¶ Mens Virginis in ardore contemplationis  
 adeo confuso tenebatur, \* Ut ne quidem  
 cum somnum caperet, ab eâ desideret.  
 ¶ Cum quiesceret corpus, vigilabat animus.  
 —Ut.

Bened. Cujus festum.

LECTIO 8.

Memoria conservabat, meditatione  
 ruminabat, et hæc cum cæteris, quæ  
 de eo viderat, et audierat, conferebat.  
 Ita etiam tum Beatissima Virgo  
 providebat nobis, ne tam dulcia, tam  
 salutaria, tam necessaria, aliqua  
 negligentia laberentur, et propleræ  
 nec scriberentur, nec predicarentur,  
 et sic sequentes hujus spiritualis  
 mannae delicias fraudarentur. Tu.

¶ Concaluit cor meum intra

me, \* Et in meditatione meâ exar-  
 descent ignis. ¶ Cor meum, et caro  
 mea exultaverunt in Deum vivum.  
 —Et.—Gloria.—Et. In Dupl. 1.  
 et 2. Clas. Concaluit.

Bened. Per Virginem.

LECTIO 9.

Omnia igitur hæc Virgo prudentis-  
 sima fideliter conservavit, verecun-  
 de tacuit, oportunè prodidit, et  
 sanctis Discipulis et Apostolis præ-  
 dicanda commisit. De his verò quæ  
 sequuntur: JESUS proficiebat æta-  
 te, et sapientiâ et gratiâ apud Deum  
 et homines multi multa dixerunt,  
 et diversa sentiunt, de quorum sen-  
 tentiis non est nostrum judicare.  
 Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

et per Horas antiphona.

1. Sub umbrâ \* illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus  
 dulcis gutturi meo.
2. Qui creavit me, \* requievit  
 in tabernaculo meo.
3. Mihi adherere \* Deo bonum  
 est, et ponere in Domino spem  
 meam.
4. Super mel \* ori meo eloquia  
 tua: quàm dulcia faucibus meis.
5. Vivo ego \* jam non ego:  
 vivit verò in me Christus.

CAPITULUM. Prov. 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et qui  
 vigilat ad fores meas quotidie, et  
 observat ad postes ostii mei.

HYMNUS. 329. Ex Br. S. Sulpic.  
 Sanctum te, Genitrix, Flamen  
 obumbrans,

Quo non interius te litat igne!  
 Adstans virginæ pectoris hospes  
 Urit tecla suis hospita flammis.

Et tu quanta Deo dona rependis?  
 Natum casta parvis Sponsa parentis:  
 Verbum carne tecis, Mater, et intus  
 Templum Spiritui Virgo ministras.  
 O quot supplicibus fervida votis

Ultrices reprimis Numinis iram!  
 Quidquid grande potest tradere

Numen,  
 Matri Natus tradit amanti.  
 Sit laus summa Patri, summa—  
 que Nato,

Compar Spiritui gloria Sancto:  
 Quos in corde foves Virginis æstus,  
 Nostris, alme Deus, cordibus infer.

Amen.

¶ Concupivit Rex decorem tuum.  
 ¶ Quia ipse est Dominus Deus  
 tuus.

Ad Benedict. ant. Et veniens JESUS  
 \* Nazareth, erat subditus illis:  
 et Mater ejus conservabat omnia  
 verba hæc conferens in corde suo.

Oratio.

Ineffabilem misericordiam tuam,  
 Domine, nobis elementè ostende,  
 ut qui toto cordis affectu Beatissimæ  
 Virginis MARIE memoriam  
 celebramus, ejus intercedentibus  
 meritis, à cunctis adversitatibus li-  
 beremur. Per Dom.

AD PRIMAM.

Ant. Sub umbrâ. Capital. Beatus  
 homo.  
 ¶, ¶. br. Quæ optimam partem  
 elegisti.

AD TERTIAM.

Ant. Qui creavit me.

CAPITULUM. Esth. 14. 3.

Domine mi, qui Rex noster es so-  
 lus, adjuva me solitariam, et cujus  
 præter te non est auxiliator alius.

¶. br. Spiritus meus \* Super mel  
 dulcis.—Spiritus. ¶. Et hæreditas  
 mea super mel et favum.—Super.  
 —Gloria.—Spiritus.

¶. Favus distillans labia tua.  
 ¶. Mel et lac sub linguâ tuâ.

AD SEXTAM.

Ant. Mihi adherere.

CAPITULUM. Judith 8. 5.

In superioribus domus suæ fecit

sibi secretum cubiculum, in quo  
 clausa morabatur.

¶. br. Descendit \* Cum eis Na-  
 zareth.—Descendit. ¶. Et erat sub-  
 ditus illis.—Cum.—Gloria. De-  
 scendit.

¶. Sol et luna steterunt in habi-  
 ticulo suo.

¶. In luce sagittarum tuarum.

AD NONAM.

Ant. Vivo ego.

CAPITULUM. Ose 2. 14.

Ecce ego lactabo eam, et ducam  
 eam in solitudinem, et loquar ad  
 cor ejus.

¶. br. Introduxit me \* In cellam  
 vinariam.—Introduxit. ¶. Ordina-  
 vit in me charitatem.—In.—Gloria.  
 —Introduxit.

¶. Fulcite me floribus.

¶. Quia amore langueo.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Ascendam \* in palmam,  
 et apprehendam fructum ejus.

2. Hortus conclusus, \* Soror  
 mea sponsa, hortus conclusus, fons  
 signatus.

3. Descendi \* in hortum meum,  
 ut viderem poma convallium.

4. Scēdit, \* et tacebit, quia  
 levavit super se.

5. Elevatio \* manuum mea-  
 rum, sacrificium vespertinum.

CAPITULUM. Prov. 8. 34.

Beatus homo, qui audit me, et qui  
 vigilat ad fores meas quotidie, et  
 observat ad postes ostii mei.

HYMNUS. 330. Br. S. Sulpic.  
 Hic adsta docilis gens sacra Christo,  
 Audi, docta calor Virgo Magistra,  
 Facilis corda suis erudit intus,  
 Et virtutis iter prævia monstrat.

Fervet mille modis pectoris æstus,  
 Dum fit grata Deo, fit sibi vilis:  
 Quæ regem superum concipit alvo,  
 Ancillæ titulo verba superbit.

Unum seire Deum Spiritus ardet,  
In se solus abit, non vagus extra,  
Illibata timet Virgo videri,  
Abscondique suis ædibus ambit.

Secrèta placida mentis in aulâ  
Audit blanda Dei verba loquentis:  
Pro verbis, tacitos, quos Deus afflat  
De puro gemitu corde rependit.

Sponsa casta suo sponso fidele  
Hic dat perpetui pignus amoris:  
Hic desideria tæta supernis  
Mens jam pasta Deo præcipit astrâ.

Sit summa laus Patri, summa-  
que Nato,

Compar Spiritui, gloria Sancto:  
Quos in corde foves Virginis æstus,  
Nostris, alma Deus, cordibus infer.

Amen.

ÿ. Venite ad sanctuarium Domi-  
ni.

g. Quod sanctificavit Deus in  
æternum.

Ad Magnif. ant. MARIA \* opti-  
mam partem elegit, quæ non aufe-  
retur ab eâ.

Oratio de Laudibus.

Complet. de feriâ.

Sequens Homil. dicitur in Duplicibus.  
Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 10. 42.

In illo tempore: Dixit JESUS Ma-  
thæ: Maria optimam partem elegit.  
Et reliqua.

Homilia S. Thomæ arch. Valentini.

Conc. 3 in assumpt. B. V.

Hanc partem optimam sibi elegit  
MARIA. MARIA illa felix maxima  
beatarum Mariarum, maxima femi-  
narum: MARIA, inquam, illa, quæ  
neque similem visa est, nec habere  
sequentem. Non de te, ô Virgo bea-  
ta, aliud opus legimus, nisi hoc.  
Non erant tibi amplissimæ facultates,  
undè famelicos aleres, nudos  
vestires, infirmos curares, indigen-  
tibus necessaria ministrares: non  
de te miracula et portentâ legimus,  
nisi post mortem tuam. Tu.

g. Mens Virginis. p. 908.

LECTIO 8.

Evangelium autem nulla de te scri-  
bit miracula, quibus vita tua in po-  
pulis magnificaretur, et in oculis  
genibus illustraretur. Omnis gloria  
filie Regis ab infinis in fimbriis au-  
reïs, in purissimis cogitationibus,  
in ardentibus desideriis, in ineffabi-  
libus gaudiis, in cœlestium virtu-  
tum spiritualibus infusionibus, et  
lucidissimis theoriis. Tu.

g. Concaluit cor. p. 908.

LECTIO 9.

Hæc erat vita MARIE: uni soli ne-  
cessario vacare, illi soli intendere,  
circa multa non sollicitari. Quæ est  
omnis contemplatio, si ad ejus exta-  
sim, quæ est omnis devotio, si ad  
ejus spiritum comparetur? Quis un-  
quam anachoritarum tam vivax et  
potens visu, ut irreverberatâ acie  
solem lucidum specularetur, sicut  
aquila hæc perspicacissima, ami-  
cta sole, et luna sub pedibus ejus?

Tu. Te Matrem.

Sequens Homil. dicitur in Semi-  
duplicibus.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 51.

In illo tempore: Descendit JESUS  
cum Parentibus suis, et venit Na-  
zareth, et erat subditus illis.

Et reliqua.

Homilia Vener. Bedæ Presbyteri,  
Dom. 1 post Epiph.

Dicebat ergo arcanum suæ divinæ  
virtutis parentibus humanæ suæ  
fragilitatis, Matri suæ, scilicet, suæ  
carnis, et castissimo tutori castita-  
tis illius, qui per id temporis, nec-  
dum prolata lege evangelicâ, ab  
omnibus penè, qui eos nosse pote-  
rant, carnali conjunctione vir ejus,  
carnali administratione Pater assi-  
mabatur, simul et vocabatur ipsius  
Domini salvatoris.

Tu. g. Mens Virginis. p. 908.

manus suas: væ mihi, quia defectit  
anima mea.

HYMNUS 331.

Dum spargit aram Sanguine  
JESU, salutis hostia,  
Præsens dolori æmulum  
MARIÆpectus immolat.  
Caput cruentum Filii  
Matris coronat verticem:  
Clavis isdem figitur  
Christus cruci, Christo parens.

O passionis mutæ  
JESU MARIE concilii  
Aeterna vobis vulnera  
Inferre tandem parcite.

Quem vos doletis, noster est  
Error furorque criminum:  
Totum scelus fatentibus  
Partem doloris reddite.

Sit honor, laus, devotio,  
JESU MARIE Filio,  
Tenso crucis patibulo  
Pro redimendo populo. Amen.

Hæc Doxologia dicitur toto hoc  
tempore.

ÿ. Regina Martyrum ora pro no-  
bis.

g. Ut digni efficiamur promissio-  
nibus Christi.

Ad Magnif. ant. Magna est \* ve-  
lut mare, contritio tua, Virgo MA-  
RIA: et non est qui consoletur te in  
omnibus angustiis tuis.

Oratio de Laudibus.  
Completorium de feriâ.

AD MATUTIN.

Invitator. Dolores recolentes Ma-  
tris, \* Filium pro nobis passum, ve-  
nile, adoremus.

HYMNUS 332. Brev. Rom.  
Jam toto subito vesper eat polo  
Et sol attonitum præcipitet diem,  
Dum sevæ recole ludibrium necis  
Divinamque catastrophem.

Spectatrix aderas supplicio Parens,  
Malis unda gerens cor adamantini-  
um,

LECTIO 8.

Et Mater ejus conservabat omnia  
verba hæc conferens in corde suo.  
Omnia, quæ de Domino, vel à Do-  
mino dicta, sive acta cognoverat  
Mater Virgo, diligentius in corde re-  
tinebat, sollicita cuncta memorie  
commendabat, ut cum dum tempus  
prædicandæ, sive scribendæ Incar-  
nationis adveniret, sufficienter uni-  
versa, prout essent gesta, posset  
explicare quærentibus.

Tu. g. Concaluit. p. 908.

LECTIO 9.

Imitemur et nos, fratres mei, piam  
Domini Matrem, ipsi quoquæ om-  
nia verba et facta Domini, ac Sal-  
vatoris nostri fixa in corde conser-  
vando, horum meditatione diurnâ  
et nocturnâ importunos inanium,  
nocentiumque cogitationum repe-  
lamus incursum. Tu. Te Matrem.

VI.

TEMPORE

VITÆ DOLOROSA.

Quod totum Passionis tempus  
includit.

IN I. VESP.

Ant. 1. Inundaverunt \* aquæ  
tribulationis super caput meum.

Psalmi de Feriâ.

2. Vide, Domine, \* et conside-  
ra, quoniã tribulor: velocitèr  
exaudi me.

3. Contritum est \* cor meum  
in medio mei: contremuerunt om-  
nia ossa mea.

4. Cum turbata fuerit \* anima  
mea, Domine, miserere mei.

5. Fili mi, \* ne derelinquas  
me desolatam, et merore confec-  
tam.

CAPITULUM.

Vocem quasi parturientiã audiri,  
angustiam, ut puerpere: Vox filie  
Sion intermorientis, expandentisque